



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 95. An & qualiter Simonia commissa in resignatione præjudicet resignati, aut etiam commissa ab uno ex resignatibus noceat alteri ignorantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

R Esp. Videndum me desuper in foro beneficiali. p. 3. q. 749.

Quest. 94. An Simoniacum sit ab eo, qui de novo receptus in Canonicum, pro vel in admissione in possessionem Canonici vel beneficii, vel ad perceptionem distributionum, ante vel post

exigi vel solvi quid temporale, v. g. pecuniam aliquam, vel partem fructuum primi anni prandium vel convivium, & similia pro Canonico vel beneficiario illius Ecclesie?

R Esp. Videndum me desuper in for. benef. part. 3. q. 748.

CAPUT IV.

De amissione, dimissione, vacatione beneficiorum simoniace obtentorum, & pœnis Simoniacorum.

Quest. 95. An & qualiter Simonia commissa in resignatione præjudicet resignanti, aut etiam commissa ab uno ex resignantibus noceat alteri ignorantibus?

R Esp. Videndum me desuper in for. benef. part. 3. q. 759.

Quest. 96. An & qualiter, & cui restituendum pretium acceptum in resignatione & collatione beneficiorum?

R Esp. Videndum me in foro benefic. part. 3. q. 755.

Quest. 97. An & qualiter simoniace provisus, de beneficio teneatur illud dimittere?

R Esp. Videndum me desuper in for. benef. p. 3. q. 374.

Quest. 98. An ob Simoniam vacet beneficium, & reservetur Papæ?

R Esp. Videndum me de hoc in foro beneficiali. p. 2. q. 589.

Quest. 99. Simonia, qualiter constare debeat, aut ea, quomodo probetur in ordine ad incurrendas pœnas?

R Esp. Videndum me in for. benef. p. 3. q. 203.

Quest. 100. An & qualiter ob Simoniam mentalem & confidentialem infligitur privatio beneficiorum?

R Esp. Videndum me in for. benef. p. 3. q. 200.

Quest. 101. An & qualiter vacent beneficia ob Simoniam confidentialem?

R Esp. Videndum me in foro benef. p. 3. q. 20.

Quest. 102. An & qualiter de Simonia (& in specie de confidentiali) constare debeat, eaque probari in ordine ad eam puniendam, impetrandumque beneficium, circa quod commissa?

R Esp. Videri me posse de hoc in for. benef. part. 3. q. 203.

Quest. 103. An & qualiter ob Simoniam mentalem, & conventionalem realem infligantur privatio beneficiorum, aliæque pœnae.

R Esp. De hoc videri me posse in for. benef. part. 3. q. 200.

Quest. 104. Ob Simoniam confidentialem, qualiter inducantur privatio beneficiorum, aliæque pœnae?

R Esp. De hoc videndum for. benef. part. 3. q. 201. & 202.

Quest. 105. Quæ pœnae incurrantur propter commissam Simoniam realem circa beneficia ecclesiastica?

1. R Esp. Primò: Quasi recapitulando, & in unum locum recolligendo has pœnas, de quibus sparsum, & veluti incidenter dictum in antecedentibus. Et primò quidem ipso jure incurritur excommunicatio Pontifici reservata, à quocumque, qui beneficium ecclesiasticum quodcumque, sive sæculare, sive regulare, (proprie tamen tale, quale non est pensio, vicaria temporalis &c. ut Less. l. c. n. 137. Suar. l. c. c. 56. n. 6. Pirh. h. t. n. 167.) procurat vel recipit conferendo, eligendo, postulando, presentando, commendando ad illud, confirmando, instituendo, constat ex *extrav. 2. h. t. & ex Bulla Sixti V. hujus Pontificis V. qua incipit: Cum pridem.* & ex AA. cit. cum communi.

2. R Esp. Secundò: Quævis collatio, provisio & acquisitio Simoniaca talis beneficii est ipso jure nulla, ita, ut provisus jus nullum acquirat, nec fructus faciat suos, & ad eorum omnium restitutionem, uti & ad dimissionem beneficii teneatur, alias in æternum periturus, juxta cit. *extravag. can. si quis caus. 5. q. 1. & c. Matheus h. t.* ita tamen, ut electio & presentatio legitime facta non irritetur, adeoque non egeat irritatione per subsecutam confirmationem, & institutionem factam simoniace, Less. n. 138. cujus contrarium est, si in priori actu commissum, cum tunc omnes actus subsequentes sint irri.

3. R Esp. Tertiò: Non tantum beneficium simoniace obtentum, ante omnem sententiam dimitendum, sed & ad idem obtinendum, deinceps in perpetuum reddatur inhabilis, nisi Papa dispenset, ut tenet communis post citatam Bullam Pii V. *tum pridem.* quidquid videatur dici in *c. penult. de elect. & c. nobis fuit. v. ab Episcopo.* contrarium, nempe talem non nisi pro illa vice esse inhabilem ad illud beneficium obtinendum. Quamvis autem simoniace obtinens beneficium reddatur quoque inhabilis ad obtinenda quæcumque alia beneficia, juxta expressa verba cit. *bulle cum pridem: Navar. tamen cons. 92. h. t. Suar. l. c. c. 58. n. 11. Less. L. 2. de just. c. 35. dn. 26. Castrop. l. c. p. 25. n. 7. Pirh. h. t. n. 170. & alii,* sentiunt, dictam bullam quoad hoc non esse uti receptam, vel ante sententiam Judicis condemnatoriam, aut saltem declaratoriam ad hanc pœnam non obligare in conscientia, adeoque aliud beneficium licite & valide obtineri posse sine ulla